

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 8. Oratio ad Sanctissimam Trinitatem

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

stare digneris, qui vivis, & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

§. VIII. *Oratio ad sanctissimam Trinitatem.*

O Summa Trinitas, una virtus, indiscreta Majestas, unus in substantia, Trinitas in personis, numerabiliter innumerabilis, mensurabiliter immensurabilis, invisibilis, ineffabilis, admirabilis, incomprehensibilis, imperscrutabilis: Deus magnus sine quantitate, sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, sine situ ubique praesens, sine loco ubique totus, omnia implens sine extensione, sine indigentia omnia creans, sine motu omnia movens. In magnitudine infinitus, summus in bonitate, in virtute omnipotens; in sapientia inestimabilis, terribilis in consiliis, in verbis verax, in operibus sanctus, justus in judiciis, copiosus in misericordia, patientissimus erga delinquentes, piissimus erga penitentes: cui nec præterita transcurrunt, nec futura succedunt: cui nec origo initium dedit, nec tempora dant incrementum: quem nec spatia dilatant, nec voluntas variat, nec mœsta perturbant, nec laeta demulcent. Deus sancte sanctorum, Deus spirituum & cunctæ carnis, à cuius conspectu tremit cœlum & terra; cuius nutui obediunt elementa: vita vivificans me: lumen illuminans me. Aperi mihi clamanti portas justitiae, & ingressus in eas confitebor tibi. Te adoro, te laudo, te glorifico labiis & corde, omnique qua valeo virtute te benedico; & procumbens humiliter sub pedibus magnificentiae tuæ, gratias ago tibi, quia per illustrationem gratię tuæ illuminasti me, & per matris Ecclesiæ documenta in fide tua confirmasti me. Et unde hoc mihi, factor cœli & terræ, qui bonorum meorum non eges, unde mihi hoc quod amasti me? Quid tibi dedi, & retribuisti? Ubi eram antequam fierem, & ut inciperem bonum? Sed tua gratia factus sum, & innumerabilibus donis tuis ornatus sum; perfice ergo me, qui fecisti me; perfice usque ad formam plenam imaginis tuæ, & similitudinis, ad quam formasti me.

Te invoco, ô beata Trinitas, ut venias in me, & tem-
plum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo Patrem per
Filiū, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum
per Patrem & Filiū, ut omnia vitia elongentur à me,
& omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus im-
mense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia
facta sunt, custodi me opus manum tuarum in te speran-
tem, & in tua solummodo misericordia confidentem.
Custodi me quæso hic & ubique, nunc & semper, intus
& foris, itaut in me nullus pateat locus insidiis inimico-
rum. Ad te beatissima Trinitas anima mea suspirat, quo-
niam à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se in-
tricavit erroribus, doloribus, timoribus? Cor meum
conturbatum est, & inde dolor: dereliquit me virtus
mea, & inde pavor; lumen oculorum meorum non est
mecum, & inde error. Verumtamen in te speravi Domi-
ne, quoniam adhuc confitebor tibi, cum error videlicet
à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor
omnis recesserit; & successerit illa, quam spero, mira
serenitas, plena suavitas, æterna securitas.

Æterne Pater, ingenite, innascibilis, principium sine
principio, auctor bonorum, fons deitatis, ac totius en-
titatis origo, Deitas tua me totum repleat, ejusque glo-
riæ participem faciat, quam Filius tuus mihi promeruit.
Sanctifica me in veritate, & tui præsentia imple memo-
riam meam, ut cum timore & tremore semper stem in
conspectu tuo, nec unquam mens mea à te avertatur.
Fili unigenite, non posterior, nec minor Patre, eique om-
nino coæqualis, & consubstantialis, Deus de Deo, lumen
de lumine, candor lucis æternæ, Verbum incarnatum,
virtus omnipotens, sapientia quæ ex ore Altissimi pro-
diisti; imago Patris, splendor gloriæ, & figura substan-
tiæ ejus, illuminans intellectum meum, robora infirmitatem
meam, ut te cognoscam, & diligam; & tanquam uni-
cum præsidium meum omnibus præferam. Sanctissime
Spiritus, à Patre & à Filio procedens, utriusque amor,

H iiii

& arctissimum vinculum, charitas essentialis, & totius charitatis principium, ignis consumens, flamma vitalis, donum superans omne donum, à quo omnia bona in nos descendunt, inflammā voluntatem meam ferventissimo tui amore, & constanti charitate, ut te solum quæram, & universa despiciam. Adstringe me tibi, & Patri, ac Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar. Santa, & adoranda Trinitas, Deus meus, & omne bonum meum, abrenuntio propter te omnibus mundi pompis, & honoribus. Detestor omnem carnis, & sensuum voluptatem: Anathema divitiis, & vanitatibus seculi. Gloria mea hæc sit, pro te contemni: mea voluptas, tibi adhærere: meæ divitiae, tibi servire in secula seculorum. Amen.

§. IX. Pia exercitatio erga Christum Crucifixum.

Montibus Hannoniæ parvus libellus impressus est anno 1634. praxim quandam continens spiritualis exercitationis erga Christum crucifixum, qua pius quidam Deiservus utebatur. Est autem hujusmodi.

I. Habebat hic in cubiculo suo Christi è Cruce pendentis affabré factam imaginem opere anaglyptico, quam semel in mense nudis pedibus maxima humilitate adorabat, fidelitatis juramentum ei præstans; deque omni quod erat, quod poterat, quod habebat homagium illi faciebat, petens, ut sibi tamquam servo emptitio ejus pedes exosculari liceret. Singulis quoque sextis feriis ipsum cum universa familia adorabat, sicut solet Ecclesia feria sexta majoris hebdomadæ.

II. Cum aliqua tentatione vexabatur, ad ipsum confugiebat: & si foris fuisset, anima ejus ad pedes ipsius volabat, & in sacris ipsorum vulneribus se abscondebat. Cum vero è cubiculo egrediebatur, in una plagarum animam suam relinquebat; & si alicubi inutilia audiebat colloquia, in nidulo suo colligebat se, mente Crucifixum adorans, & dulcia cum eo miscens colloquia. Quod si domi tentabatur, Crucifixum arripiens eo seipsum signa-